

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 24. (*Neovidensis* 1806. Nro. 17.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum vita functorum.

Elysiium. Meum. - Die Vener. 14. Martii 1806 (Neov. 25. Febr. 1806.)

— — Haud castas
Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Terent.

Colloquentes Ubræ
Diana & Domicella Ypsilon.

Ypsilon. Castissima [Dearum! cum voluptate, sed etiam profunda cum veneratione te accedo, atque majorem in modum rogo, accipe meam virtutem in tuam tutelam, eique justa decerne præmia. Ausimne sperare, benigna Diana! quod peto?

Diana. In castam juventutem ardentibus sum studiis, eamque remunerari mearum esse partium duco. Quod tibi nomen?

Ypsilon. Vocor Domicella Ypsilon, ad obsequia paratissima.

Diana. Ut puto, graves sustinueris tentationes. Quot annos nata es?

Ypsilon. (Aliquantum perplexa.) Ago decennium, supra quinquaginta.

Diana. Pulchra ætas. Jam diu oberras in his lucis ?

Ypsilon. Aliquot hebdomadibus — semper sollicita, ut te, benevolam Deam, reperiam.

Diana. Quomodo erant comparatæ tuæ facultates ?

Ypsilon. Ut solent esse herularum meæ conditionis. Ah castissima Dearum! quæ potest esse sors domicellarum? Nos plerumque nobiliter, & delicate educamur; Nostri status personæ sunt omnino commiseratione dignæ. Ad statum civilem plane non sumus aptæ, accomodatæque, itaque expectare debemus, & tamdiu expectare, usque dum veniat quispiam nobis similis, qui nos exquirat, nobisque secundum receptum apud cultiores morem offerat matrimonium; verum in hac rerum caritate & ille pecuniam quærit, siquidem *hoc mobile perpetuum* modo maximi fit, isque illud libenter erogat. Nobilior nascendi ratio multum amisit ex suis irritamentis.

Diana. Ergo tibi vis viam monstravit ad virtutem.

Ypsilon. Civilis conditionis honestus juvenis non audet in nos oculos convertere, secus ut temerarius, ac protervus traducetur. Sed cui etiam usui illi foret domicella? Nos assuevimus ætatem in nobilibus transigere nugis; Cura rei familiaris ad nos nihil attinet, in qua a prima juvenia nec erudimur. Idmodi occupationes non conveniunt teneris nostris manibus, quæ ad summum aptæ sunt

tractare clavichordium. In hac consideratione status noster est longe tristissimus.

Diana. Nobilis virgo Ypsilon! pace tua ex te sciscitor, an fueris formosa?

Ypsilon. (*Rubore suffusa*) Mea mater sæpe numero narravit, me formæ præstantia excelluisse; at anno ætatis octavo in variolas incidisse, quæ vultui meo invenustam inducere mutationem, tunc adhuc ignorabatur vaccinationis & ideo concinnam meam formam vis morbi extinxit. Ut ingenue fatear, inspicienti speculum nihil venustatis apparebat in meo cultu.

Diana. Novum argumentum tuæ virtutis.

Ypsilon. Tandem me converti ad consuetas, & in honore habitas artes: Evolvi omnes fabellas romanenses, & comœdias, quæ attentionem excitaverant. Ephemerides, & scripta illecebrarum plena, memoria tenebam adeo, ut qualibet data occasione mera ingeniose di&a proloquerer. Sollicite quærebatur mea societas, quod recepto mori me accommodaverim, meisque facetiis, & jocationibus mire ceperim omnium animos; hanc personam egi longo tempore; sed proh dolor! audiebar libenter, expetebatur mea amicitia, at nunquam — mea manus.

Diana. Aliud iterum motivum tuæ virtutis.

Ypsilon. In vicinia nostra casus incidit mirificus, qui mihi saniora indidit consilia. Certa virgo nobilis, nomine Omega, quæ me nec pulchritudine, nec agendi modo supera-

vit', cujus ingenium non erat excultum, vitæ ratio autem in societate ferox, & morosa; verbo: nihil possidebat, quo gratiam potuisset mereri; hæc tamen — o tempora, o mores! venustissimi in nostra vicinia Equitis, perspicacia & generositate præstantis, qui semper mecum esse optabat, facta est uxor, quia abundadat facultatibus.

Diana. Tristis experientia.

Ypsilon. Hoc factum me tandem permovit, ut omnibus fabellarum romanensium, & illecebrarum ineptiis nuncium remitterem; Visa mundi vanitate totam me pietati tradidi, adibam templa, fundebam preces, & canebam — & — —

Diana. Probabilius adjecisti animum ad Vestales, nonne in quopiam sacrarum virginum collegio?

Ypsilon. Id quidem non, sed apud propinguos meos vitam duxi piam, ac pudicam, diris devovens fatum, quod me ad sortem herularum damnavit. In hunc modum mihi senectus obrepsit; Gaudio excepi mortem me occupantem, & persuasum habeo, me a te, castissima Dearum! jure quodam posse exigere, ut in his beatorum sedibus suscipiar.

Diana. Nobilis virgo Ypsilon! sinceritate tua vehementer moveor, pudorem animi, ac pudicitiam coluisti, quia carebas dotibus ad matrimonium necessariis; Ex necessitate fecisti virtutem. At scito, ex vi nonnisi falsam oriri virtutem. Interim hac etiam in re non levia sunt tua merita; habebis locum in

meo comitatu, nunquam tamen excidat ex animo, sæpe virtutem casui esse adscribendam.

Ypsilon. Pro hoc tuo in me studio gratiam habeo immortalem, castissima Dearum! Patere, ut præsim muneri colligendarum rerum novarum, quæ de negotiis politicis orbis superior subministrat. En specimen mei ingenii in hoc genere:

Venetis 8. Febr. Elapso die mercurii Venetiæ festivis ignibus erant collustratæ; Forum S. Marci simile fuit mari ignito, in quo etiam ignes artificiales dati sunt. Die Jovis vesperi Serenissimus Pro-Rex, & Pro-Regina inviserunt domum publicæ saltationis, quod nobile conjugum par hodie mane inter faustas populi acclamationes ex urbe nostra discessit.

Die 4. Pro-Rex copiam fecit ablegatis Istriæ se adeundi, qua occasione eorum Præses Carafati inter alia dixit: Istriani gaudio exultant, se venisse in potestatem Magni Napoleonis. Sunt illiquoad corpus, & animum industrius populus, habent fertiles agros, insignes portus, & vastas sylvas, cum ignorantia tamen, paupertate, & infelicitate conflantur. Jam a sæculis omnibus votis exoptabant Angelum tutelarem, qui eorum ditionem nosceret, tueretur, & ad florem perduceret. Videmus jam illucescere auroram, quæ Italiam ad vitam revocatura est, &c.

Dominus Renier renunciatus est præfectus Venetiarum, *Podestam* vocant Itali, habetque lateri adhærentes 9 consiliarios.

Germania. Sua Majestas, Imperator Germaniæ Principi Lichtenstein ob præstita merita contulit ordinem Aurei velleris.

Herbipolim adventurus expectabatur legatus Electoris Badensis, Dominus a Seckendorf; Vult ille ibidem tempore bacchanalium morari.

Ut novissime scribit Monitor Parisinus, Princeps Josephus Napoleon in suo cum copiis gallicis in Regnum Neapolitanum ingressu promisit omnibus incolis securitatem, cum ille ad puniendum tantum gubernium veniat, reliquis autem certam adferat pacem; Galli se iis tanquam fratres jungent, omniaque in suo pristino statu manebunt, & nemo turbabitur sive in religione, sive juribus.

Propositionum, quas Dux S. Theodori fecit nomine coronæ Principis Neapolitani, nulla est habita ratio.

Multæ copiæ russicæ congregantur in limitibus turcicis; Propugnaculum Camienseum validissime munitur.

BIOGRAPHIA.

Diana. erat filia Jovis ex Latona, nata in insula Delos. Utpote soror Apollinis, qui symbolum erat solis, repræsentavit illa lunam. Sicut autem luna nocturno tempore terram colustrat radiis, qui totidem sagittæ putabantur, ita illa etiam, velut ejus frater pin-

igitur arcum ferens, pharetram, & sagittas. Castæ Dianæ dicabant se virgines, voto castitatis obstrictæ, in cujus transgressores illa gravissime animadvertit, erat enim Dea castitatis, cælibatus, & innocuæ juventutis.

Græci memoriæ prodiderunt eam comitantibus nymphis venatum ferarum exercuisse in sylvis. Ejus arcum, & sagittas paraverant Cyclopes. His armis prostravit 5. cervos, aureis cornibus ornatos, e quibus 4. suo curru junxit. Suppetias tulit Patri Deorum in bello cum Cyclopiibus gesto. Virtute pollebat eximia: impudentem Actæonem, a quo, dum se cum sociabus lavaret, conspectam, indignata convertit in cervum, qui a propriis canibus pro fera habitus, misere discerptus interiit; Sic etiam suam comitem, Callisto, in pœnam violatæ castitatis commutavit in ursam. Sed nec Oeneus, & Alpheus evitarunt ejus indignationem. In bello Trojano secuta est partes Trojanorum contra Junonem, quæe detractam ex ejus humeris pharetram ea vi allisit ejus capiti, ut sagittæ quaquaversum dispergerentur. Diana profugit ad suum patrem, & Latona collectas sagittas retulit in Olympum. Cultus ejus erat longe, lateque propagatus; Miraculum mundi dicebatur templum ejus honoribus Ephesi dicatum; In hoc posita erat ejus statua, ad quam colendam ex longinquis regionibus confluebant peregrini, istum vero hospitem concursum adhuc magis promovit externa templi pompa. Nequam Herostratus, ut famam

sui nominis ad posteros transmitteret, templum Dianae incendit; verum Ephesii collatis suis divitiis priore splendidius construxerunt. Diana pingitur vultu pudicae virginis, levi, & ad currendum expedita veste, pharetra, & sagittis instructa, saepe ad pedem habet canem venaticum, & fronti ejus imminet bicornis luna. Subinde eam stipant Nymphae. In antiquis autem imaginibus visitur etiam manu tenere facem.

Miscellanea.

Suntne aliqua indicia, tractari de pace Galliam inter, & Angliam? Haecenus nihil certi ad nos perlatum est. Anglicum ministerium primo in ordinem redigitur, quodve in illo memoratu dignum accidit, est hoc, quod Foxius, ex quo Minister creatus est, caput suum pulveribus cypriis conspergat; Unde nonnulli illatum volunt, ejus caput inclinare ad sensa gallicana, verum hoc de ejus tantum capillis licet affirmare.
